

Et dicitur totus, et Pontifex manet sine mitra apud sedem usque ad finem Hymni. Interim dum cantatur Hymnus, Abbatisa revertitur ad monasterium, associata, ut supra, et a monialibus senioribus excipitur intra portam, atque ad chorum perducitur, ubi moniales omnes faciunt ei reverentiam, singulariter genuflexæ ante illam, et recipiuntur ab ea benigne ad osculum. Finito Hymno, Pontifex stans sine mitra, sedente Abbatisa in sede sua in choro, super eam dicit:

- Ÿ. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.
 R. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.
 Ÿ. Salvam fac ancillam tuam, Domine.
 R. Deus meus sperantem in te.
 Ÿ. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
 R. A facie inimici.
 Ÿ. Nihil proficiat inimicus in ea.
 R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
 Ÿ. Domine, exaudi orationem meam.
 R. Et clamor meus ad te veniat.
 Ÿ. Dominus vobiscum.
 R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

FAMULAM tuam, Domine, custodia muniat pietatis, ut virginitatis sanctæ propositum, quod, te inspirante, suscepit, te protegente, illæsum custodiat. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Deinde Pontifex, assumpta mitra, benedicit solemniter populo, dicens:
 Sit nomen Domini, etc.

Et benedictione data, vadunt omnes in pace.

DE BENEDICTIONE ET CONSECRATIONE
VIRGINUM.

BENEDICTIO, et consecratio Virginum fieri debet in Epiphania Domini, vel in Albis Paschalibus, aut in Natalitiis Apostolorum, seu in Dominicis diebus. Die vero præcedenti, hora vespertina, vel etiam mane, antequam Pontifex ad Missam se parat, in loco convenienti, præsentantur ei Virgines benedicendæ; qui de earum ætate, et proposito singulariter singulas, videlicet, an annum vigesimum quintum compleverint, si voluntatem, et propositum servandæ virginitatis habeant, diligenter inquirunt; et insuper seorsum cum qualibet de vita, et conscientia, et carnis integritate. Quo facto, super altari in cornu Epistolæ locantur pro Virginibus benedicendis vestes, vela, annuli, et torques, sive coronæ, tempore suo Virginibus tradenda. Deputantur paranymphæ matronæ seniores, et propinquæ earum, quæ Virgines associant, et præcedunt, collocant, ac deducunt ad Pontificem, et reducunt. Ordinatur etiam in Ecclesia papilio, aut alius locus conveniens paratur, in quo Virgines ipsæ conveniunt, et suo tempore se vestiunt benedictis vestibus. Post hæc, hora congrua, Pontifex paratus omnibus Pontificalibus paramentis, procedit more consueto ad Missam, et in ea usque ad Alleluia, sive ultimum Versum Tractus, vel Sequentiæ exclusive.

Missæ dicitur de die, cum Collecta pro Virginibus, sub uno Per Dominum.

ORATIO.

DA, quæsumus Domine, his famulabus tuis, quas virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati

óperis consummátum efféctum ; et , ut perféctam tibi offerant plenitúdinem , initia sua perducere mereántur ad finem . Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum , qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus , per ómnia sæcula sæculórum . *R.* Amen .

Dicto Graduali , Tractu , vel Sequentia , usque ad ultimum Versum exclusive , Pontifex sedet cum mitra super faldistorium , ante medium altaris præparatum . Virgines vero in vestibus , quibus in monasterio usæ sunt , sine velis , sine mantellis , et sine cucullis e monasterio egressæ , associatæ singulæ a duabus matronis senioribus , et propinquis , ac velis ante faciem demissis , Ecclesiam ingrediuntur ; et Archipresbyter superpelliceo et pluviali indutus cantat competenti voce , hanc Antiphonam :

4. Toni.



Prudentes vir-gi-nes ap-ta-te vestras lampades ,



ecce sponsus ve-nit , ex-i-te ob-vi-am e-i.

Virgines vero audientes vocem Archipresbyteri , et accendentes cereos suos , progrediuntur binæ , et binæ . Archipresbyter vero præcedens statuit eas extra chorum , ut facies ad altare majus vertant , et Pontificem coram altari sedentem possint videre , et ipse eas . Tunc idem Archipresbyter in parte Virginum stans , dicit competente voce , in tono lectionis , ad Pontificem , Virgini-bus genuflectentibus :



REVERENDISSIME Pater , póstulat sancta mater Ecclésia cathólica , ut has præsentés Virgines dignémini benedicere , et consecráre , ac Dómino nostro Jesu Christo , summi Dei Fílio , desponsáre .


Pontifex interrogat , dicens :
Seis illas dignas esse ?

Respondet Archipresbyter :
Quantum humana fragilitas nosse sinit , credo et testificor illas dignas esse .


Tunc Pontifex adhuc sedens cum mitra , dicit ad circumstantes :

AUXILIANTE Dómino Deo , et Salvatóre nostro Jesu Christo , eligimus has præsentés Virgines benedicere , et consecráre , ac Dómino nostro Jesu Christo , summi Dei Fílio , desponsáre .

Deinde Pontifex vocat Virgines in cantu, dicens :




Virgines respondent :



Surgentes mox seriatim veniunt usque ad introitum chori, exterius tamen genua flectentes.

Tunc Pontifex eas secundo altius vocat in cantu, dicens :



Virgines surgentes respondent similiter in cantu, dicentes :



Deinde usque ad medium chori procedunt, et ibi genua flectunt. Tunc Pontifex tertio altius vocat eas in cantu, dicens :



Virgines vero surgentes respondent cantantes Antiphonam :



Et præmissa cantantes Virgines, magis appropinquantes ascendunt in Presbyterium; ubi omnes coram Pontifice genuflectunt; et capita profunde, quasi usque ad terram, inclinant. Deinde singulæ successive caput aliquantulum erigentes, cantant etiam hunc Versum :

SUSCIPE me, Dómine, secúndum elóquium tuum; ut non dominétur mei omnis injustítia.

Quo per singulas dicto, surgunt omnes, et a matronis prædictis seriatim ordinantur, stantes ibidem in modum coronæ coram Pontifice, congruo tamen spatio distantes ab eo. Tunc Pontifex hortatur illas publice ad amplectendum, et servandum sanctæ virginitatis propositum: et mox interrogat eas palam, et communiter dicens: Vultis in sanctæ virginitatis proposito perseverare?

Et singulæ respondent: Vólumus.

Tunc unaquæque sigillatim genuflectit coram eo; et immissis manibus junctis inter ambas manus Pontificis, Pontifex interrogat quamlibet dicens: Promittis te virginitatem perpétuo servare?

Respondet illa: Promitto.

Et Pontifex dicit: Deo grátias.

Illa vero osculatur manus Pontificis, surgitque, et ad suum locum revertitur et genuflectit. Omnibus autem sic per ordinem expeditis, et ad sua loca reversis, et genuflexis, Pontifex communiter omnes interrogat, dicens: Vultis benedicí, et consecrári, ac Dómino nostro Jesu Christo, summi Dei Filio, desponsári?

Respondent omnes: Vólumus.

Post hæc Pontifex ante altare super faldistorium procumbit cum mitra; et ministri hinc, et inde genuflectunt; Virgines vero post Pontificem super tapetia, in modum coronæ, se prosternunt; et cantores incipiunt, et prosequuntur Litanias ut supra. 35. Et postquam dictum fuerit, et a choro responsum: Ut ómnibus fidélibus, etc.

ñ. Te rogámus audi nos.

Pontifex surgit cum mitra, et vertens se ad Virgines prostratas, tenens baculum Pastoralem in sinistra, in pristino tono dicit, primo:

Ut præséntes ancillas tuas bene ✠ dicere dignéris.
ñ. Te rogámus audi nos.

Ut præséntes ancillas tuas bene ✠ dicere, et sanctificáre dignéris.

ñ. Te rogámus audi nos.

Quibus dictis, Pontifex redit ad accubitum, cantoribus Litanias, ubi dimiserant, reassumentibus, et perficientibus. Quibus finitis, surgunt omnes, et dicitur Hymnus: Veni, créator Spiritus, etc. ut supra. 69.

Pontifice, sine mitra ante altare genuflexo, incipiente, et choro illum prosequente usque ad finem; primo Versu dicto, Pontifice surgente et usque ad finem ejusdem Hymni sine mitra stante. Hymno dicto, Virgines ad papilionem, seu ad alium locum idoneum proximiorum, ad hoc ordinatum, revertuntur. Pontifex vero coram altari stans, deposita mitra, benedicit Virginum vestes, dicens:



ñ. Dóminus vobíscum.

ñ. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS æternórum bonórum fidelissime promissor, certissime persolutor, qui vestiméntum salutis et indumentum æternæ jucunditatis tuis fidelibus promisisti, cleméntiam tuam suppliciter exoramus, ut hæc indumenta, humilitátem cordis, et contéptum mundi significántia, quibus fámulæ tuæ sancto visibiliter sunt informándæ propósito, propítius bene ✠ dicas; ut beátæ castitátis hábitum, quem, te inspiránte, suscepiunt, te protegénte custódiant; et quas venerándæ véstibus promissionis induis temporáliter, beáta fácias immortalitate vestiri. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

OREMUS.

DOMINE Deus, bonárum virtútum dator, et ómnium benedictionum largus infúsor, te obnixis précibus deprecámur, ut has vestes bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare dignéris, quas fámulæ tuæ pro indicio cognoscéndæ religionis indúere se volunt; ut inter réliquas féminas tibi cognoscántur dicátæ. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

OREMUS.

EXAUDI, omnipotens Deus, preces nostras; et has vestes, quas fámulæ tuæ ad seipsas operiéndas expóscunt, ubérrimæ benedictionis imbre perfúnde, sicut perfudisti oram vestimentórum Aaron benedictione unguénti, profluentis a cápite in barbam; et sicut benedixisti vestes ómnium religiosórum tibi per ómnia placéntium, ita eas bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare dignéris: ac præsta, clementissime Pater, ut supradictis famulábus tuis sint hæ vestes salutis protéctio, hæ

cognítio religiónis, hæ initium sanctitátis, hæ contra ómnia tela inimíci robústa defénsio, ut centésimi muneris opuléntia, perseveránte continéntia, diténtur. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

Et vestes aqua benedicta aspergit, quæ portantur Virginibus ad locum, ad quem divertunt; ubi dimissis quotidianis vestibus, induunt benedictas.

Pontifex autem stans, ut supra, benedicit vela Virginum, dicens:

OREMUS.

SUPPLICITER te, Dómine, rogámus, ut super has vestes Sancillárum tuárum capitibus imponédas, bene ✠ dictio tua benigna descéndat; et sint hæ vestes benedictæ, consecratæ, immaculatæ, et sanctæ. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

OREMUS.

CAPUT ómnium fidelium, Deus, et tótius córporis salvátor, hæ operiménta veláminum, quæ fámulæ tuæ propter tuum, tuæque Genitrícis beatíssimæ Virginis Mariæ amórem suis capitibus sunt imposituræ, dextera tua sancti ✠ fica; et hoc, quod per illa mystice datur intélligi, tua semper custódia, corpore páriter, et ánimo incontamináto custódiant; ut, quando ad perpétuam Sanctórum remuneratióem vénerint, cum prudéntibus et ipsæ virginibus præparatæ, te perducénte, ad sempiternæ felicitátis núptias introire mereántur. Qui vivis et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

Et vela ipsa aqua benedicta aspergit.

Post hæc stans adhuc, ut supra Pontifex benedicit annulos, dicens:

OREMUS.

CREATOR, et conservátor humáni géneris, dator grátie spirituális, et largitor humanæ salutis; tu, Dómine,

emitte bene ✠ dictionem tuam super hos annulos; ut, quæ eos gestaverint, cœlesti virtute munitæ, fidem integram, fidelitatemque sinceram teneant; sicut sponsæ Christi virginitatis propositum custodiant, et in castitate perpétua perseverent. Per Christum Dóminum nostrum. *ñ.* Amen.

Et aqua benedicta eos aspergit.

Tum stans adhuc sine mitra Pontifex, benedicit torques, sive coronas, dicens :

OREMUS.

BENE ✠ DIC, Dómine, ornáménta ista; et præsta, per invocatióem tui nóminis, ut quæcúmque ea portaverint, si tibi fidéliter servierint, corónam, quam illa designant, in cœlo percipere mereántur. Qui in Trinitate perfécta vivis et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *ñ.* Amen.

Deinde eas aqua benedicta aspergit.

His expletis, Virgines, benedictis vestibus, exceptis velis, indutæ, binæ et binæ, seriatim redeunt ad Pontificem, cantantes Responsorium :

5 Toni.



Regnum mun - di, et o - mnem or - na - tum



sæ - cu - li con - tem - psi propter a - morem Do - mi - ni



no - stri Je - su Christi, * Quem vi - di, quem



a - ma - vi, in quem cre - di - di, quem di - le - xi.



✠ E - ructa - vit cor me - um ver - bum bo - num, di - co



e - go o - pe - ra me - a re - gi. * Quem.

Tum disponuntur a paranympis ante altare genuflexæ coram Pontifice, in modum coronæ, vultibus demissis: Pontifex vero surgit, mitra deposita, et versus ad eas, dicit :



OREMUS.

RESPICE, Dómine, propítius super has fámulas tuas, ut sanctæ virginitátis propósitum, quod, te inspi-ránte, suscepérunt, te gubernánte, custódiant. Per Dó-minum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui te-cum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

Deinde dicit competenti voce, extensis manibus ante pectus, Præfationem :



Per omni-a sæ-cu-la sæ-cu-lo-rum. *ñ.* A-men.



γ. Do-mi-nus vo-bis-cum. *ñ.* Et cum spi-ri-tu



tu-o. *γ.* Sur-sum cor-da. *ñ.* Ha-be-mus ad




Do-mi-num. *γ.* Gra-ti-as a-ga-mus Do-mi-no



De-o nostro. *ñ.* Dignum et justum est. *Ve-re*



dignum et justum est, æquum et sa-lu-ta-re;




nos ti-bi sem-per, et u-bi-que gra-ti-as



a-ge-re, Do-mi-ne san-cte, Pa-ter o-mni-potens,



æ-ter-ne De-us, ca-storum cor-porum be-nignus



ha-bi-ta-tor, et in-corrup-tarum De-us a-ma-tor



a-ni-ma-rum. Qui hu-manam substan-ti-am, in



pri-mis ho-mi-ni-bus di-a-bo-li-ca frau-de vi-



ti-a-tam, i-ta in ver-bo tu-o, per quod



o-mni-a fa-cta sunt, re-pa-ras, ut e-am non